



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Petrus Cælestinus. 19. Maii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

324 VITÆ SANCTORUM. 19. Maii.  
Tanta est boni viri in cælo expectatio.  
*Ex Sur.*

*Et nobis pro modulo nostro penne sunt insita, virtutes scilicet spirituales, quibus si viriliter utimur, ad cælestia sublevamur; sin autem ex desidia torpore deponimus, necesse est, ut in surripientium vitiorum profunda mergamur. S. Pet. Dam. lib. 2. Ep. 18.*

S. PETRUS CÆLESTINUS. 19. Maii.

**U**Nicum modestiæ miraculum PETRI CÆLESTINI vides, qui exemplo antehac in viso, poste à nunquam repetito, summo se Pontificatu sponte abdicavit, immortalis memoriæ dignus, etsi eo facinore solo inclaruisset: sed idem tenor totius vitæ fuit, cuius quia partem longè maximam in locis solis exegit, non revocabimus ad illam normam mores delicatæ juventutis, contenti si se cum puero patientur componi. Simul ac fieri potuit, illud aureum matri promissum inculcabat, *Volo esse bonus servus Dei*; quod ipsum mater jam tum spe præceperat, cum in recens nato multa Religiosi insignia deprehendisset. Ergo quantumvis arctis domi rebus, in ludum eum literarium misit, patre nuper mortuo consilium de cælo probante, ut totius terrarum orbis bono susceptum. Incidère tamen remora permulta, qui-

quibus omnibus perruptis, mater in filioli oraculo acquievit, tum quidem constantissimè, cum pädagogum discenti se Christus offerret, visus nonnunquam de cruce ad eum descendere; ut mirandum non sit, Angelos eam operam non dedignatos; & hi quidem etiam morum ab eo rationem exigebant, nunquam impunè delinquere eum passi. Jam virgo Deipara curam valetudinis ejus egit, & altero oculo lippientem recreavit. In hoc contubernio educatus, homines penitus deseruit, uno ejusdem propositi socio comitatus, cui tamen constantia defuit. Petri studiis Angeli applauserunt, quos hodie rariùs audimus, quia aures nostræ Sirenium sibilis occupatæ, Angelis non parent. *Ex Surio.*

*Christum tanquam signaculum in corde nostro debemus imprimere, ut nulla hoc valeat hostilis irruptio violare: Christum etiam operibus nostris debemus insculpere, ut per omne, quod agimus, Crucifixi nos Præceptoris discipulos demonstramus. S. Pet. Dam. serm. 67.*

S. BERNARDINUS SENENSIS.

20. Maii.

**B**ERNARDINO puero aras extruere, quæ ad populum dici pro concione audierat, ad pueros dicere, ludus erant. Qualem nunc serium putas fuisse?

X 3 Ye-